# EPISTOLA
DE
# MENSURIS
ET
# PONDERIBUS
SERUM seu SINENSIUM.

Ubi etiam
De ingenti illo MURO qui apud eos,
eo tempore NOVO ANNO, necnon
de Herbæ CHA collectione
superstitiosa.

Omnium Nomina exhibentur Lingua Serica,
subjunctis Characteribus propriis.

Autore THOMA HYDE S.T.D.

OXONIÆ
E THEATRO SHELDONIANO
CIↃIↃCLXXXVIII.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

# MONITIO
## AD
# LECTOREM.

RE*ctioris pronuntiationis gratia, Lector monendus est, in lingua Sinica* ch (*ut &* ci) *sonare semper molliter, ut solet* ch *in vocibus Anglicis:* g *in initio semper esse molle, in medio & fine semper durum: omnem vocem Sinicam, quamvis plures Vocales habeat, esse monosyllabam: deinde vocum Sinicarum Sonos, qui apud alios more Lusitanico scribuntur, huic scriptioni Anglicæ plerumq; conformatos esse: ne forte nostrates hæc Nomina legentes, verorum loco monstrosa & incondita quædam proferre viderentur. Quæ enim Lusitanice scriberentur* Xe, Xim, *&c. ego scripsi* She, Shing, *&c. Quia vero Lusitanorum* Ho *seu* Hu *fere accedat ad sonum nostri* wh, *id non mutavi, ut quantum possibile esset, hæc nostra cum eis aliorum Scriptorum consonare possent. Ideoque pro eorum* Hoam, *scriptum reliqui* Hoang, *quia non multum abludit ab eo quod quivis Anglus potius scriberet & sonaret* whang.

whang. *Ulugh-Begh ex Ditione* Samalhan *prope Sinas Tatarus, de Epocha Sinica (quam Chataicam vocat,) Persice scribens, recte legit* حونگ Huangh; *quod tamen Lat. ejus Interpres male sonat* Chunec, *non satis dextre tractans hoc & plurima alia Nomina quæ ex Scientia Sinica facile restitui & emendari possint. Hæce Monitio utilis esse possit legentibus Atlantem Sinicum aliosve Libros de Sinis agentes. In illis enim omnia scribuntur more Lusitanicæ linguæ, quam quidem addiscere & callere tenentur ex quavis Gente omnes Patres Missionarii, qui ad Sinas ablegantur. Insuper addo, ad morem illorum qui de rebus Sinicis agunt, Leucam hic accipi pro 4 milliaribus Europæis: Cubitum pro justo Pede, non autem Sesquipede, ut aliter accipi solet: his enim promiscue utor.*

*Cumque teneras curiosi & periti Lectoris aures nihil magis radat eique nauseam creet, quam pravâ Vocum pronuntiatio, optandum esset ut omnes qui Libros ex una Lingua in aliam transfundunt, eodem no-*

*biſcum utentes conſilio, ſatagerent genuinos exoticorum Nominum Sonos recte formare & accurate exprimere; cum certe boni Interpretis ſit, non tantum rectum & communem Appellativorum Senſum, ſed & Propriorum Nominum verum Sonum eadem opera traducere & ad Lectorem tranſmittere: ne forte corrupta & vitioſa genuinorum loco exhibendo, eum non tam ducere quam ſeducere videatur. Nam omnia Nomina ſeu rerum Vocabula quibus utimur, ſunt tot Soni: & diverſus Sonus diverſum efficit Nomen, & aliarum quarumvis Vocum appellativam ſignificationem facit diverſam. Si itaque Nomen (ſive Loci, ſive Perſonæ, ſive cujuſvis Rei,) de quo agitur, ſit falſum, tum Quis ſit aut Quid ſit de quo tota narratur hiſtoria, ignoratur. Exempla de eis quæ ex Lingua Luſitanica traducuntur, exhibet tota noſtra Epiſtola. Infinitum eſſet in medium adducere ejuſmodi omnia, quæ in Traductionibus ex Lingua Gallica occurrunt: unum aut alterum ſpecimînis cauſa adjiciam. Ex. gr. id quod in Anglica Traductione legitur* Erzerom, *(cum*

*Galli ſuum* e *ut* a, *&* o *ante* m *aut* n *ut* ã, *ſonent) reſcribendum eſſet* ارزن الروم Arzerroum. *Sic* Chaoux *pro* چاوش Chaouſh. *Sed maxime me movet, in Anglicis Traductionibus videre ſcriptum* Pachi, *&* Pacha, *&* Paſſa. *Qui enim ejuſmodi Voces ex Gallico in Anglicum tranſcribit, debuerat reſcripſiſſe* باشي Baſhi, *&* باشا Baſha, *cum Gallorum* ch *plane ſonet ut Angl.* ſh. *Quod autem ſcribantur per* P *loco* τῦ B, *ea errandi anſa petita eſt ex converſatione cum Græcis, ex quorum ore Hiſtoricas Relationes avide captant aliqui Scriptitores Europæi. Nam cum Græci Sonos* τῦ b *&* ſh *tam voce formare quam ſuis Literis exprimere neſciant, coguntur pronuntiare* Paſſa, *&c. Ex horum itaque corrupto fonte alii ſuas in hiſce rebus corruptelas hauriunt. Et cum Græcum Alphabetum omnes Sonos Orientales recte exprimere non valeat, id partim in cauſa eſt cur apud eorum Hiſtoricos in Perſicis & Arabicis Virorum & Locorum Nominibus erretur: adeo ut ſi ipſi quorum mentio fit, forte reviviſcerent, ſuum quiſque Nomen ex tali ſcriptione agnoſcere non poſſet.* Vale.

THO-

# Thomas Hyde
## Edvardo Bernardo
## Salutem.

EA quæ dudum à me deſideraſti de Ponderibus & Menſuris Chinenſium, qualiacunque ſint, jam libenter ad te mitto; ut inde tibi quatenus cum eis aliarum gentium congruant ab iiſve diſcrepent, conſtare poſſit. Maxima Longitudinis aut Diſtantiarum apud Chinenſes Menſura eſt *Çan*, quæ facit 8 *P'u*, ſeu 80 *Li*; quod apud eos eſt ordinarium iter diurnum, quantum Sinenſes ambulando conficiunt. Adeo ut unum *P'u* faciat 10 *Li*, id eſt, 4 milliaria Anglica & paulo plus, vel 1 Leucam Germ. p. m. Quantum autem ſit *Li*, ut & reliquæ Menſuræ, jam accuratius definietur.

Nempe unum *Li*, (quod commodioris vocabuli defectu *Milliare* Sinicum vocari poſſit,) compertum eſt continere 360 *Pu'u'*, ſeu *Paſſus* Sinicos; ſic enim illa vox à D. Martinio ſcribitur. Chinenſis

sis meus (amicus charissimus *D. Michael Shin Fo-çung* qui proxime elapsa æstate 1687 hic Oxonii fuit,) simpliciter scribebat [2] *Pu*, & dicebat continere tantum 5 *Che* seu *Cubitos:* sed D. Martinius in Atlante & D. Semedo consentientes scribunt *Passum* continere 6 *Che* seu *Cubitos* Sinicos. Est autem [3] *Chang* decuplo longior mensura, continens 10 *Che*. Est quoque ista fere quadruplo longior mensura dicta [4] *Pi*, qua Pannum aut Sericum metiuntur. Chinensis noster, τὸ *Pi* τὰ 4 *Chang* aut pauciores continere scripsit, indefinitam integræ cujusvis telæ longitudinem hoc nomine notans. Ut autem cum nostris Mensuris magis accurate fieri possit collatio, tanquam reliquorum Fundamentum ponam Sinicum [5] *Che*, id est, *Vlnam* seu *Cubitum*, (qui in 10 minores Partes seu Uncias dividitur, fere æquans Pedem nostrum Anglicum in Partes seu Uncias 12 divisum; adeo ut Unciæ Sinicæ necessario sint majores Unciis Europæis. Ejusmodi autem Pars, quam Unciam vocamus, illis dicitur [6] *çun*, seu *çen*, sive

*çuen.*

*çuen.* Nam tot modis pronuntiatur. Et quodvis *çun* rurſus ſubdividitur in 10 [9] *Fuen*, ſeu partes minores, ſc. in decimas decimæ. Et unumquodque *Fuen* ſeu *Fen* adhuc ſubdividitur in 10 *Ly* ſeu [8] *Li*, id eſt, partes præcedentibus minores. Hinc continuata ſubtiliore diviſione, quodvis hujuſmodi *Li* diſtribuitur rurſus in 10 [7] *Ha'o*, ſeu partes adhuc minutiores. Et quodvis *Háo* ſubtilius ſubdiviſum continet 10 *Sû* ſeu partes prioribus minores. Et unumquodque [6] *Sû* ſimiliter in denas minutiores partes ſubdiviſum, continet 10 *Hoe*'' ſeu partes omnium minimas. Hujuſmodi autem minutiſſimæ diviſiones ſunt tantum imaginariæ ad Fractiones commodis verbis concipiendas & exprimendas, potius quam ut in aliquo Inſtrumento ligneo aut æneo notari & deſignari poſſint.

Quibuſdam apud Sinenſes mos eſt, in denominando Pedis ſeu Cubiti partes, ſemper præmittere vocem *Che*, ut *Che çun*, *Che fuen*, &c. idque ut hoc modo ſignificetur *çun* aut *fuen* eſſe ſubdiviſiones tũ

*Che*, non autem alterius cujusvis mensuræ; cum aliæ pariter in *çun* & *fuen*, seu Denas & Subdenas Partes dividantur. Et sic in denominando Partes majoris aut minoris Cubiti, dicitur *Ta che çun*, aut *Siao che çun*, &c. de quibus infra dicetur. In Mercatoris mei Vocabulario Sinico MS in vernacula Provinciæ *Fokien*, legitur *Chick soon*, & *Chit soon*, aut *Chid soon*, i.e. *unum soon*; & *Chid hoon*, i.e. *unum hoon*; pro quo in Dialecto Mandarinica (qua Aulici & Docti utuntur,) diceretur *Ie çun*, & *Ie hoe*, &c. D. Semedo vocat *Huzun*, *Hufuen*, *Hucham*, &c.

Ut autem prædictum *Che* conferatur cum Pede Anglico Turris Londinensis pedem Romanum $\frac{1}{4}$ unciæ superante & excedente, notandum est D. Martinii *Che* seu *Cubitum* Sinicum ænea Regula in Atlante Sinico impressum, nostro Anglicano Pede breviorem esse fere $\frac{1}{8}$ Unciæ, charta jam exiccata; quæ dum inter imprimendum madens & expansior, forte differentiam $\frac{1}{16}$ superantem vix dederit; ut hac ratione mensuræ ibi apparenti ali-

quid

quid addendum ſit. Sed ut Practicorum potius quam Theoricorum dictis & regulis in hujuſmodi rebus plerumque credendum duxerim, ſic mihi jam videtur fidem tutius adhiberi poſſe Mercatoribus, quorum intereſt ſcire Menſuras per quas quotidie emunt & vendunt, potius quam Doctis & Studioſis, quibus ejuſmodi occaſiones rarius contingunt. Inde eſt quod miſſo D. Martinii Cubito ſeu Pede, tutius fidendum duxi dicto Libro MS Amici mei Viri Ampliſſimi D. Joh. Dacres ad Sinas Mercatoris, qui diſertis verbis ponit Sinicum Pedem eſſe duplicem, minorem & majorem: minorem, qui Aurifabrorum, eſſe Pede Anglicano breviorem $\frac{3}{4}$ Unciæ: majorem Pedem, qui Lignifabrorum, eſſe pede Anglicano breviorem tantum $\frac{1}{4}$ Unciæ. Et hic Pes ſeu Cubitus longior, is eſt qui videtur eſſe Geodæticus, quem itaque tanquam authenticum in Menſuris deſignandis ſecuturi ſumus. Nihilominus tamen, dum in ſequentibus Milliaris ſpatium definimus, juxta omnes dictas Cubiti differentias

cum noſtra menſura inſtituetur collatio.

Chinenſis meus triplicem mihi deſignavit Cubitum, quorum primus eſt [13] *Ta che*, id eſt, *Magna menſura*. Secundus, qui præcedente minor, eſt [14] *Quon che*, id eſt, *Mandarinorum menſura*, per quam Aulici Sericum & ejuſmodi merces, quæ ad Aulam Regiam advehuntur, emunt. Tertius eſt [15] *Siáo che*, id eſt, *Parva menſura*; de qua, ut & de prima, ſuperius diximus.

Obiter quoque moneo, me in dicto Vocabulario reperiſſe Anglice an Ell, Sinice dictum *Baa*; ſcil. *Chid Baa* ſeu *Baa chid*, id eſt, *unum Baa*. Ego autem nec Vocem nec Menſuram Sinicam eſſe puto: ſed potius Arabicum باع *Baa*, quo *Orgyia*, (vulgo *Braſſa*) notatur, ab exoticis Mercatoribus introductum; & apud Sinenſes paulo aliter quam apud Arabes uſurpatum; cum certe Anglicum Ell ſit multo brevior quam *Orgyia*, quæ genuina Sinica voce vocatur [16] *To*.

Inſtrumentum ligneum Geodæticum ſeu Agrimenſorium apud Chinenſes forma

ma diducti Circini, vocatur " *Pu*, id eſt, *Paßus* Sinicus Geometricus, continens (ut D. Martinius & D. Semedo aſſerunt,) 6 *Che* ſeu *Cubitus* Sinicos, ut ſupra dictum. Chinenſis autem meus quinque Pedes ſeu Cubitos continere ſcripſit. Sed ad Collationem cum menſuris Anglicis properandum eſt.

Cum itaque ſecundum D. Gunterum & accuratiores harum rerum ſcrutatores, *Milliare* Anglicum per Statuta Regni contineat 1056 *Paſſus* Geometricos 5 Pedum, vel 8 Stadia; tum hujus noſtri Milliaris ſingula Stadia habebunt 660 Pedes Anglicos. Et, ſi Cubitus Sinicus eſſet plane æqualis Pedi Anglico, tum ſecundum hunc cenſum, *Li* ſeu Milliare Sinicum habens 360 Paſſus Sinicos 6 Pedum Sinicorum, contineret Triſtadium Anglicum cum 180 Pedibus Anglicis. Et hæc ſit prima Collatio. Sed cum certum ſit eorum Cubitum eſſe noſtro Pede breviorem, oportet aliter numeremus, demendo (ut ſupra) à ſingulis Cubitis Sinicis $\frac{1}{16}$ Unciæ Anglicanæ; qua

ratione Sinicum *Li* contineret Triſtadium Angl. cum tantum 168 Pedibus Angl. & 9 Unciis. Et hæc ſit ſecunda Collatio. Poſito autem (ut ſupra) quod Cubitus Sinicus ſit Pede Angl. brevior $\frac{1}{8}$ Unciæ, tum Sinicum *Li* faciet Triſtadium Anglicum cum tantum $157\frac{1}{2}$ Pedibus Anglicis. Et hæc ſit tertia Collatio.

Supradicta autem Authoritate ſatis liquet, Cubitum Sinicum revera eſſe $\frac{1}{4}$ Unciæ breviorem Pede Anglicano, qua in re convenit cum Pede Romano: & ſecundum hunc cenſum (quem veriorem eſſe judico,) Sinicum *Li* continebit Triſtadium Anglicanum cum tantum 135 Pedibus Anglicis. Et hæc ſit quarta Collatio, ſecundum iſtum Cubitum Sinicum majorem, qui in Geodæſiam adſciſcitur, in qua nulla Cubiti minoris ratio habenda eſt; ideoque nec heic Collatione ejus ad Milliare Sinicum metiendum aut cum noſtro conferendum opus eſt.

Si autem ſecundum Chinenſis mei Paſſum 5 Pedum ſeu Cubitorum, numeraveris Paſſus 360; (nempe dempto ex ſingulis

gulis Paſſibus uno Cubito Sinico, in toto 360 Cubitis, qui faciunt Pedes Angl. 352 ½ cum 6 Unciis,) tum ſecundum hunc cenſum, Sinicum *Li* erit tantum Biſtadium Angl. cum Pedibus Angl. 442½. Et ex hac ultima Collatione, Sinicum *Li* eſſet multo brevius quam deſignavit D. Mart. cum (ut ſupra) ponat dictum *Li* continere 360 Paſſus Sinicos 6 Cubitorum, qui faciunt Cubitos Sinicos 2160, Pedes Anglicos 2115. Dictus autem Vir Doctus hallucinari videtur, dum uni Gradui Æquatoris aſſignat Milliaria Sinica 250. Hæc vero tam enormis computatio oritur ex male fundata Hypotheſi, quod ſcil. *Li* ſit tantum 2 Stadia; qua quidem ratione, Sinica *Li* 250 facerent Milliaria Europæa 62½, quæ ſumma ad unum Gradum prope accedit: & hinc ponit 15 Leucas Germanicas (quæ continent 60 Milliaria,) uni Æquatoris Gradui reſpondere. Sed cum is in eodem Atlante poſuerit *Li* continere 360 Paſſus 6 Cubitorum ſeu Pedum ſingulos, inde peti poſſit contra ipſum Demonſtratio, quod

Sinica

Sinica *Li* 250 (sec. nostram superiorem Collationem quartam,) revera continent Passus Sinicos 90000, aut Cubitos Sinicos 540000; Pedes vero Anglicanos 528750, qui faciunt Milliaria Angl. 100, cum uno Stadio & 90 Pedibus Anglicis, quod nimium est; cum Europæi nunquam solebant uni Gradui tribuere ultra 60 Milliaria, quæ si Anglicana esse putes, faciunt tantum Milliaria Sinica 149$\frac{3}{4}$ cum 90 Pedibus Sinicis. Moderni autem in hac parte accuratiores, uni Gradui cœlesti dant in terra 69 Milliaria p. m. quæ si Anglica esse velis, faciunt Milliaria Sinica 172$\frac{1}{2}$ cum Pedibus Sinicis 22$\frac{1}{2}$.

D. Semedo paulo aliter procedens, abbreviat Sinicum *Li*, demendo 60 Passus Sinicos, seu Pedes Sinicos 360, qui faciunt Pedes Anglicos 352$\frac{1}{2}$, i. e. Semistadium Anglicum cum 22$\frac{1}{2}$ Pedibus Anglicis. Et hac ratione constituit Sinicum *Li* habere tantum Sinicos Passus 300, seu Pedes Sinicos 1800; qui faciunt Anglicos Pedes 1762$\frac{1}{2}$, seu Anglica Stadia 2 cum

cum Pedibus 442½, i.e. Semiſtadium plus Pedibus 12½; adeoque 15 ejuſmodi *Li* facere 4 Milliaria ſeu Leucam: (cui tamen D. Mart. in Hiſt. Sinica tribuit 16 *Li*, i. e. 16 ſua Biſtadia.) Et ſeptendecies ejuſmodi 15 *Li*, faciunt numerum τῶν *Li* 255; unde ferme emergerent ejus 17 Leucæ, ſeu 68 Milliaria Europæa. Sed cum ejus *Li* abbreviatum contineat tantum Stadia duo cum pedibus 442½, hæc ſumma quindecies multiplicata, revera dat Anglica Milliaria 4 cum Stadiis 5 & Pedibus 517½. Et iſta ſumma ſeptendecies multiplicata, (ſc. Milliaria Sinica 255,) facit Anglica Milliaria 84 cum Stadiis 7 & pedibus 297½. Ejuſque 100 *Li* ſuo modo abbreviata pro itinere diurno, continent tantum Milliaria Anglica 33 cum Stadiis 3 & Pedibus 30. Sed ſi cum D. Martinio, ponatur *Li* continere 360 Paſſus 6 Cubitorum, tum dictæ ſummæ adhuc multo magis excedent: nam ſi Sinica *Li* 2½ faciant unum Milliare Angl. cum Pedibus 7½, tum 10 Sinica *Li* facient 4 Milliaria Anglica cum Pedibus 30, quæ fere reſpondent

Leucæ Germanicæ: & 15 ejuſmodi *Li* facerent Anglica Milliaria 6 cum Pedibus 45: & hæc ſumma multiplicata ſeptendecies, produceret Anglica Milliaria 102 cum Stadio uno & Pedibus 105. Iter vero diurnum ſec. D. Martinii 80 *Li*, haberet Milliaria Anglica tantum 32 cum Pedibus 240. Ipſa D. Semed. verba audi, ubi viarum Menſuras exponit, ſtatuens *unum* Li *continere* 300 *Paſſus*; *&* 100 Li *facere* Stadium *ſeu* Curſum, *ſc. iter unius diei: & quod verſus Boream aut Auſtrum* 255 Li *faciant unum Gradum, dando* 15 Li *unicuique Leucæ, &* 17 *Leucas uni Gradui.* Alibi ait, 30 Li *faciunt* 6 *Milliaria.*

Iſtis autem Viris alias ſane Magnis venia in hac parte indulgeri poſſit, dum aliis majoris momenti rebus vacaverint; ſatiſque duxerint innuiſſe quales eſſent Menſuræ Sinicæ, potius quam accurate eas definiviſſe; nec forte habuerint ſecum Computiſtam, qui Operationes Arithmeticas præſtare & omnibus numeris abſolutas exhibere potuiſſet.

Habent adhuc Chinenſes ad Agrimenſoriam

ſoriam magis proprie pertinentes Menſuras Geodæticas; ad quas melius explorandas, pro Fundamento primo explicabitur quantum terræ ſpatium ſit [18] *Meu*, quod Sinice definitur eſſe [19] *Chang ſhe lo pu*, id eſt, *Longum* 16 *Paſſus*, et [20] *Quo ſhe u pu*, id eſt, *Latum* 15 *Paſſus* Sinicos, qui dant quadratos Cubitos Sinicos 8640, quadratos Pedes Angl. 8460, qui faciunt Jugeri Anglici ⅕ cum 1260 Pedibus: nam totum Jugerum Angl. conſtat Quadratis Pedibus 43560. Hujus Menſuræ *Meu* ſubdiviſiones eiſdem gaudent Nominibus Sinicis cum illis Cubiti, & eiſdem Characteribus exprimuntur; quæ itaque rurſus ſcrutari opus non erit. Namque *Meu* continet 10 *Fuen*: & hoc continet 10 *Li*: & iſtud continet 10 *Háo*: & hoc continet 10 *Su*: & iſtud continet 10 *Hoe*, quæ eſt Diviſio ſeu Menſura omnium minima. Deinde habent aliam terræ Menſuram centuplo majorem, dictam [21] *King*, quorum unum continet 100 *Meu*, ſeu Jugera Anglica 19⅕ cum Quadratis Pedibus Angl. 7470. Hæ (ut vides) Menſuræ faciunt Quadrangula

oblonga: in quales olim Quadraturas totam Chinam diviſerunt, ut hac ratione Tributa & Vectigalia faciliori negotio colligere poſſent. Hactenus de Menſuris Superficierum, ſeu Longitudinis & Diſtantiarum. Jam proxime ventum eſt ad Menſuras Contentorum ſeu Capacitatis.

In hiſce Menſuris explicandis, Chinenſium more incipiam à minoribus per Grana Tritici, Oryzæ, &c. Et quidem minima Menſura Sinice dicta [22] *So*, continet 3 Grana. Tum [23] *Quei*, continet circiter 10 Grana. Dein decuplo major Menſura [24] *So* ſeu Pugillus (ut vocat Chinenſis meus,) continet circiter 100 Grana. Poſtea *Chao* cont. circiter 1000 Grana. Deinde [26] *Cho* continet circiter 10000 Grana. Poſtea [27] *Ho*, ſua capacitate continet circiter 100000 Grana. Deinde [28] *Shing* eſt Oryzæ una Libra & amplius, ſeu menſura diurna unius Mercenarii. Tunc ſuccedit [29] *Teu* continens 10 *Shing*. Dein [30] *Ho* continet 5 *Teu*. Tunc ſequitur [31] *Fu*, continens 6 *Teu* & 4 *Shing*. Poſtea eſt [32] *She*, continens 10 *Teu*, vel 100 Libras,

ſc.

ſc. onus unius Bajuli. Deinde [33] *Yu* continet 16 *Teu.* Tum iſtam ſequitur [34] *Chung* continens 3 *She* & 4 *Teu.* Poſtremo agmen claudit [35] *Ping* continens 8 *She.*

Sciendum eſt, Chinenſium Libram ordinariam dictam *Kin,* continere 16 uncias Sinicas, vel de Troy. Adeo ut Libra *S*inica faciat Libram de Troy ut ſit in lamina anea. $1\frac{1}{3}$. Conſtat enim *Pataconem* Hiſpanicum ad ſtateram ſeu Libram Sinicam ponderatum, continere 7 Scrupulos & 3 Minuta ſeu Grana, ut ſit præciſe Uncia Sinica. Libra inquam *S*inica dicta *Kin,* pondere continet 16 *Leam,* quod cont. 10 *Cien*: & hoc cont. 10 *Fuen,* quod cont. 10 *Li*: & hoc cont. 10 *Hao,* quod cont. 10 *Su*: & hoc cont. 10 *Hoe,* quod cont. 10 *Vi*: & hoc cont. 10 *Sien,* quod cont. 10 *Sha* ſeu Arenas: & *Sha* cont. 10 *Chin* ſeu Pulviſculos. Sed præter ordinariam Libram 16 unciarum, habent varias alias Libras majores ad res groſſiores ponderandas: habent enim Libram 18 unciarum, & aliam 20 unciarum, & adhuc aliam 24 unciarum. Hactenus Chinenſis meus.

*Hac pagina rurſus impreſſa, jam correcta eſt.*

Ea

Ea quæ ex aliis Authoribus exhibeo, eorum verbis tradam. D. Semedo p. 68, menſuras capacitatis ſic exponit; *Magna Menſura Granorum, ut Oryzæ, Leguminum,* &c. *Luſitanice dicta* Pico, *Sinice* Tan, *componitur ex minoribus, quarum minima eſt quantum contineri poſſit in una Palma ſeu Concavo manus. Horum* 10 *faciunt unum* Xim, [*pron.* Shing;] *quantum ſc. Oryzæ homo ordinarie edit uno die*: & 10 Xim *faciunt unum* Teu: & 10 Teu *faciunt unum* Tan, *quod pondere continet* 100 Cattes, *quæ faciunt* 125 *Libras Luſitanicas* 16 *unciarum ſingulas.* Deinde ad Pondera procedit, *incipiendo à* Hao, *quæ eſt decima pars Luſitanicæ unius* Caxæ; *nam* 10 Hao *faciunt unam* Caxam: & *unum* Li *correſpondet uni dimidio Julio:* 10 Li *faciunt unum* Condrinum: & 10 Condrin *faciunt unum* Mas: 10 Mas *unum* Tael: 16 Tael *unum* Catte, *qualis eſt eorum Libra; quæ tamen major quam noſtra,* inquit D. Semedo: *nam eorum* 16 Tael *faciunt è Libris noſtris* 20. *Et* 100 Cattes *faciunt unum* Pico, *illis dictum*

*dictum* Tan. In rebus autem ponderandis, utuntur Statera Romana, longa trabe metallica conſtans, qua etiam groſſiori forma utuntur Laniones Angli.

Ex Legatione Batavica, p. 165, *Pondus* Catte *valet* 5 Quadrantes. Teila *Sinica valet* 10 Maas: *ſingula* Maas *Drachmam unam & ſemis.* Condrinus *eſt decima pars unius* Maas. *Unum* Picol *ſeu* Pecull *eſt pondus* 125 *Librarum lignorum ad ſtruendum focum, vel aliarum rerum.* Ligna enim pondere emuntur & venduntur.

Ex Purchaſii prima parte pag. 390, Saccus *continet* Cattes 49½ *Sinicas.* Catte *facit* Reales 21½ *Anglicas.* Saccus *vocatur* Timbang. Timbang 2 *faciunt unum* Peecull. Peeculia 3 *faciunt unum parvum* Bahar. Peeculia 4½ *faciunt unum magnum* Bahar, *quod eſt* Cattes 445½. *Japonenſium* Coulack *continet* Cattes 7¼. Coulacki 7 *faciunt unum* Timbang *menſuræ aquariæ. Ad ponderandum res pretioſiſſimas,* Taile *æquat* Reales 2¼, *aut uncias duas Anglicanas.* Taile *Malayca ſeu Malaccana æquivalet* Reali 1¼, *aut unciæ*

*Anglica-*

*Anglicanæ* 1⅓. Taile *Sinica æquiponderat* Reali 1$\frac{7}{20}$, *aut unciæ Anglicanæ* 1⅓. Sic ille, aut Mercator à quo didicerit.

In ſupradicto Vocabulario Sinico hæc Vernacule ſic leguntur: unum Condreen eſt Chid hoon: unum Maſs eſt Chid thee: unum Tayle eſt Chid neo, unum Pecull eſt chid Taa. Unum Catte eſt chid kin.

Cum vero jam inter menſuras verſemur, priuſquam manum de Tabula tollam, haud abs re erit pauca de egregio Chinenſium muro delibare, tam propter rei celebritatem, quam quod menſurandi haud contemnendum exemplar nobis exhibeat. Magnus et ſtupendus ille Chinenſium murus (quem D. Verbieſt oculatus teſtis inter 7 Orbis miracula numerari poſſe non dubitat,) contra Tatarorum incurſiones extructus, Chinam Borealem à Tataria dirimit circa Latitudinis Gradum 42. Hic murus in Occidente incipit in Provincia [36] *Xenſi*, [pron. *Shenſi*,] circa Latitudinis gradum 38; haud procul à litore [37] *Hoang Ho*, id eſt, *Flavi Fluvii*, (vulgo *Crocei Fluvii*,) qui circa

circa Lat. 31, oritur ex Lacubus, qui in meridionali parte laciniæ montis [38] *Quen len*: & inde Occidentem Chinæ alluens, & muri extremitatem præterfluens, Tatariam ingreditur vergendo ad Borrapelioten: & inde repente in Auſtrum rediens, ſub arcum Muri circa Longit. Gradum 138, (ad occaſum alluens intra murum τὴν *Ning* [39] *hia hoi*, id eſt, *Pacis & Hia fortalitium*, ſeu *civitatem munitam*, pro tuenda Familia *Hia*,) revertitur in Chinam, quam tranſverſim ſecat Auſtrorientaliter donec in mare Orientale exoneretur circa Lat. 34. Ad Occidentalem hujus muri extremitatem (in Regni Chinenſis Mappa quam ab Ampliſſimo Viro D. Georgio White Mercatore Anglo accepi,) Sinicis characteribus notatum legitur, [40] *Cho chang ching ki çu, chi Liao-tung chi*, id eſt, *Fabricatio longi muri incipit hic, apud Liaotung deſinit.* Hinc in Orientem tendens murus, totam Borealem Chinæ partem à [41] *Mo co Ta çu* ſeu *Mogolo-Tataris* dirimit, donec tandem dictam *Provinciam Liaotung* prætergreſſus, immediate ingredia-

tur maris Sinum dictum [42] *Ya lo kiang*, seu ꝑ *Ya lo Lacum*; sc. illum Sinum in quem ex Tataria infunditur Fluvius *Ya lo*, qui à Septentrione descendit ex illis partibus ubi est Mogolo-Tatarice dictus چغان ناور *Changàn-näur*, id est, *Albus Lacus*; idem sc. qui in Globis & Chartis fere ad eundem sonum Italico more scribitur *Cianganor*; Sinice dictus [43] *Ngan çung kiang*, id est, *Pacificus bonus Lacus*. Fluvius inquam *Yalo* ex supradictis partibus labens, tandem exoneratur in dictum maris Sinum, qui Boreales Sinas ad ortum dirimit à [44] *Chiao sian* (Martinio *Chao sien*,) Peninsula in Globis *Corea* dicta, (Mogolice كري *Cori*, id est, *Petræa* seu *Saxosa*, si vim vocis spectes,) quæ Sinas interjacet & [45] *Ge-pen*, id est, *Solis originem*, Insulam nempe totius Orbis ultimam, vulgo *Japan*. Ibique juxta muri extremitatem Orientalem in dicta Mappa Sinice scriptum notatur, [46] *C'in chu chang ching ge hai su li çai tie ki hia ço ti*, id est, *Chin* [familia Imperatoria] *fabricavit longum murum intra mare*

*circiter-decem Li; poſuit ferrum iſtum infra, faciendo fundamentum.* Sic ad ordinem & ſitum vocum reddo: ſenſus eſt *infra iſtum.* Nempe iſtum murum fabricari curavit Imperator *Ching*, al. dictus *Xi*, [pron. *Shi*,] Author Familiæ *Cin*, unde totum Regnum tunc denominatum eſt *China.* Murus inchoatus eſt annis ante Chriſtum 215, & multorum manibus quinquennio abſolutus: nam ex ſingulis denis hominibus, tres ad iſtud opus adegerunt. Orientalis muri extremitas in ipſum mare protenditur, & aquas ſubiens per medias undas ducitur per 10 *Li*, ſeu 4 milliaria Anglica cum pluſculo; ad cujus Fundamentum jaciendum grandioribus crudi ferri maſſis onuſtas naves ad fundum ſubmerſerunt, una cum ſabulo & ingentibus Saxis, donec eum cum aquæ ſuperficie æquaſſent, adeo ut quadratis lapidibus murum ſuperſtruere liceret.

Ejus Altitudo, dicente D. Martinio, eſt 30 *Che.* Sed cum ipſe fateatur ſe Murum non vidiſſe, ſupponendum eſt ejus Informatorem intellexiſſe Cubitum Geodæ-

ticum Pede Angl. majorem. Latitudine habet 12,& alicubi 15 *Che* ſeuCubitos Sinicos: Paſſim vero ad commodas diſtantias defenſionis cauſa ſupra Murum exſurgunt quadratæ Turres munitiſſimæ, unde ad longinquum hoſtes telis petere norunt. Et ita firmiter omnes Saxorum commiſſuræ compaginatæ ſunt, ut nullibi per totum murum clavum ferreum, ut inter juncturas penetret, adigere liceat: id quod Structoribus & Fabris murariis ſub capitali pœna injunctum eſt. Cumque anxie ab omnibus de ejus longitudine diſquiratur, in hoc loco de ea re pauca addere, fortaſſis operæ pretium æſtimabitur. Præmittam vero,juſtam ejus longitudinem accurate definiri non poſſe, utpote quæ hodie ignoretur, nemini niſi Deo nota. Chinenſibus vocatur "*Van-li-ching*, id eſt, *myriadis milliarium murus*, viz. intelliguntur tot *Li* ſeu milliaria Sinica, quæ facerent milliaria Anglica 4004 cum Pedibus Angl. 421½. Sed (dicente Martinio) nomen *Van-li-ching* non veram, ſed prodigioſam ejuſdem lon-

longitudinem notat. Nec quidem D. Martinius (qui multos annos ibi vixit,) prætendit ſe peremptorie juſtam ejuſdem longitudinem determinare poſſe. In ejus Mappa impreſſa, dictus Murus ducitur per 19 Gradus, ſc. ab 133 ad 153 utrinque excluſive: & in Deſcriptione dicit, *Murum non excedere* 300 *Leucas Germanicas, quorum* 15 *Gradum conficiunt: & totam longitudinem non excedere Gradus* 20; *licet id quod deeſſe ob Parallelorum coarctationem videtur, abunde ſua inflexione & curvitate compenſet. Nam cum* 250 *Li unum Æquatoris Gradum conſtituant, extenderetur ad Gradus* 40, *quod eſt plus quam tota hæc extrema Aſia in longitudinem excurrit. Et Orientalis ejus extremitas ſubit aquas per aliquot Li*, &c.

*Li* 250 accuratius computata, non tantum æquant, ſed 30 aut 40 milliaribus Anglicis Gradum ſuperant. Ideoque omnino recte ſupponit jactatam muri longitudinem eſſe fabuloſam. Si autem Murus extendatur per tantum 300 Leucas Germanicas, 300 ejuſmodi Leucæ faciunt

ciunt milliaria Angl. 1200, p. m. Supponendo igitur milliaria Anglica, quorum menſuram bene novimus, ſequente modo inſtituemus Collationem, ut inveniamus quot *Li* ſeu milliaria dicto numero reſpondeant. Si ſc. uni Gradui numeramus talia 60 milliaria, tum huic ſummæ reſpondent Sinica *Li* 149¾ cum 90 Cubitis Sinicis. Et dato quod murus per 20 Gradus extendatur, exurget dicta ſumma vigeſies; nempe 20 Gradibus 60 milliarium Anglicorum, (id eſt 1200 milliaribus Anglicis) reſpondent Sinica *Li* 2996 cum Cubitis Sinicis 360. Et hæc eſt muri longitudo quam D. Martinius deſignare voluit. Si autem ſecundum modernos, uni Gradui numeremus Anglica milliaria 69, res paulo aliter ſe habebit: nempe uni ejuſmodi Gradui 69 milliarium Anglicorum, reſpondebunt Sinica *Li* 172¼ cum Cubitis Sinicis 22½. Et ſecundum hunc cenſum, 20 ejuſmodi Gradibus erunt milliaria Anglica 1380, quibus reſpondent Sinica *Li* 3445 cum Cubitis Sinicis 450. Sed ex ſupradictis

con-

constat, D. Martinium muri longitudinem dedisse sec. lineam rectam per viam cœlorum, minime computatis curvaturis, quæ adeo magnæ sunt, ut αὐτόπτης quidam Observator Gallus asserat, dictum murum aliquibus locis apparere tanquam tres muros, tantas esse ejus circuitiones & flexuras per ambitus montium. Philosophiæ *Cung Fu-çú* (vulgo Confucii) Editores Doctissimi, ad calcem Libri notarunt *muri longitudinem complecti* 400 *Leucas Lusitanicas. Si vero muri flexus & montium circuitus considerentur, exurget ad Leucas fere* 500. D. Semedo dicit 900 *milliaria*, re non satis perpensa.

Celeberrimus iste murus, is est qui in Arabicis libris toties celebratur sub Nomine سد ياجوج وماجوج *Sud* τȣ̃ *Yagog & Magog*, id est, *Agger* τȣ̃ *Gog & Magog*. De eo autem (ut & de aliis rebus longinquis) fabulosa narrant, ejusque extructionem (ut & pleraque magnalia) tribuunt Alexandro Bicorni.

Restat ut curiositatis gratia (quia nemo hactenus hæc scripto prodidit,) pro Colophone

lophone addam, ex supra laudato MS Libro D. Dacres ad Sinas Mercatoris, primum τῦ *Sin nien* seu *Novi anni* diem semper esse in *Sin yue* seu *Novilunio* quod est (sive ante sive post) Quintæ diei Februarii proximius. Ex gr. Annus 1673 inchoatus est Septimo die Februarii. Sic ille. Is quidem heic in Europa erat dies Sextus. Anno autem utuntur Lunari.

Qui plura vult de Forma Sinici Anni, qui Astronomis dicitur سنة خطاء وايغور *Annus Chataiæ & Oighur*, adeat D. Gravii *Epochas celebriores*, & D. Golii *Additamentum de Chataia*, quod Atlanti subjungitur.

Cumq; jam notum sit Anni initium, dein qua anni tempestate celebratissimæ Herbæ *Cha* Folia legantur, melius innotescet. Ex dicto enim MS didicimus, in collectione Foliorum *Cha*, Sinenses adeo esse superstitiosos, ut duos tantum in toto anno Dies ejus collectioni aptos faustosque judicent: nempe tertii Mensis tertius Dies, est tempus primum & præcipuum: dein quinti Mensis quintus Dies. Hæcque Foliorum collectio inchoanda est Meridia-

no

no tempore præciſe hora duodecima; qua quidem hora dictis Diebus multa millia & myriades hominum ad iſtorum Foliorum collectionem turmatim prodire ſolent.

Hæcce Herba (ſeu Frutex ſive Virgultum) cujus Folia potu tam deſiderabilia habentur, Japonice vocatur *Yen*. Sinicum vero *Cha*, ſeu quod idem eſt, *Chia*, apud Mercatores Arabes *Ch* molle ſonare neſcientes, dicitur *Tha* ſeu *The*, ſive *Te*. Id quod docere volui, ne unde receptum apud nos tam celebris Plantæ Nomen venerit, ignoretur. Herbæ *Cha* Icon & Hiſtoria videri poſſunt in D. Kircheri *China illuſtrata*, & in *Atlante* Sinico. *Vale.*

# *POSTSCRIPTUM.*

POstquam hanc Epiſtolam majori ex parte Typis mandaveram, & videbar mihi eam plane ſcribendo abſolviſſe, Chartas & Mappas Sinicas revolvendo, poſtliminio deprehendi alium adhuc eſſe Cubitum ſeu Pedem ſuperioribus majorem, qui merito pro *Tache*, ſeu *Magna menſura* haberi, & in Agrimenſoria pro Pede Geodætico adhiberi debuit. Nuper quidem Cubitum Sinicum ¼ Unciæ noſtro Pede breviorem, in Geodæſiam veniſſe exiſtimaveram, ut ſuperius ſcripſi: ſed dictam noſtram in hac parte ſententiam jam revocandam cenſeo, ſtatuens Cubitum ſeu Pedem apud Sinenſes eſſe quadruplicem. Primo, Aurifabrorum, qui (quippe in rebus pretioſioribus adhiberi ſolitus) eſt omnium breviſſimus, ſc. Unciæ ⅛ brevior Pede Anglico. Secundo, Lignifabrorum, (quo etiam in Sinenſium Emporiis maritimis utuntur Mercatores) qui eſt Unciæ ¼ brevior Pede Anglico. Tertio,

Pes

## *Poſtſcriptum.*

Pes ſeu Cubitus D. Martinii in Atlante, (qui eſt *Quon Che* ſeu *Mandarinorum menſura*) duobus præcedentibus longior, fere æquans Pedem Anglicum. Iſtud enim genus hominum qui apud Sinas rerum potiuntur, melius ſibi proſpicere ſatagentes, Cubitum longiuſculum in ſuum uſum aſſumendum curant; cum illorum ſit habere præemptionem omnium mercium exoticarum, quæ per Caravanas in mediterraneas partes advehuntur, & primo adventu ad Aulam Regiam deferri ſolent & debent, ut iſti Aulici omnia quæ volunt præemere poſſint. Cumque Mandarini (quibuſcum D. Martinius in Aula potiſſimum converſatus eſt,) ſupradictum Cubitum tanquam authenticum ei darent, is eorum authoritate fretus, ulterius de tali menſura inquirere ſuperſedit. Nos autem rem paulo altius ſcrutando, jam tandem in Sinenſium Charta Geographica invenimus, præter dictos Cubitos, ſupereſſe adhuc alium Cubitum, qui etiam ex Chinenſis mei authoritate repetita aſſertione, ſolus Cubitus Geodæticus ha-

bendus eſt: quem itaque ad milliaria jam denuo metienda, cum noſtro Pede collatum ibo.

Iſte igitur magnus Cubitus dividitur itidem in 10 *çun*, ſed majores: & in hiſce *çun* Subdiviſio decimalis (ut in reliquis) obſervatur. Adeo ut iſte quartus Cubitus omnium maximus, æquet Anglicum Pedem $1\frac{1}{4}$, id eſt, 15 Uncias Anglicas. Et Chinenſis noſter fidenter & conſtanter affirmat, hujuſmodi Cubitos 5 (non vero 6, facere Paſſum Sinicum Geometricum; & tales Paſſus 360 facere unum *Li* Sinicum. Secundum hunc itaque Cubitum procedendo, varias menſuræ Sinicæ collationes cum Anglicis inſtituam, & in ſequenti pagella tanquam in Tabula ſubjiciam, ut ſtatim cuivis conferenti, quantum à ſuperioribus diſcrepent, facile comparere poſſit.

Cubitus Sinicus Geodæticus facit Anglicum Pedem $1\frac{1}{4}$ ſeu Uncias 15.

Cubiti 5 dant Paſſum Sinicum, ſeu Anglicos Pedes 6 cum Unciis 3.

Paſſus 360 dant *Li* Sinicum, ſeu Cubitos Sinicos 1800, id eſt, Anglicos Pedes 2250, nempe, Triſtadium Anglicum cum Pedibus Anglicis 270, ſeu 16 Perticas cum 6 Pedibus.

# *Poſtſcriptum.*

*P'u* dat 10 *Li*, ſeu Anglicos Pedes 22500, id eſt, milliaria Anglica 4 cum Stadiis 2 & Pedibus 60.

Octo *P'u* ſeu 80 *Li* pro itinere diurno, faciunt Anglica milliaria 34 cum Pedibus 480.

Decem *P'u* ſeu 100 *Li* pro itinere diurno, faciunt Anglica milliaria 42½ cum Pedibus 600.

*Li* 15, dant Angl. mill. 6 cum Stadiis 3, & Pedib. 90.

*Li* 16, dant Angl. mill. 6 cum Stadiis 6, & Pedib. 360.

Septendecies 15 *Li* dant Angl. mill. 108 cum Stadiis 5, & Pedibus 210.

*Li* 250, dant Angl. mill. 105 cum Stadiis 6, & Ped. 186.

*Li* 255, dant Angl. mill. 107 cum Stadiis 7, & Ped. 216.

*Li* 1000, dant Angl. mill. 430 cum Stadio 1, & Ped. 60.

*Li* 10000, dant Angl. mill. 4301 cum Stadiis 2, & Ped. 600: quæ eſt magni Muri Longit. prædicata, ſed non vera.

Anglicum milliare unum habens Angl. Pedes 5280, æquat Sinicos Cubitos 3960, ſeu Paſſus Sin. 792, id eſt, *Li* Sinica 2 cum Paſſibus Sinicis 72, ſeu Cubitis Sinicis 360.

Anglica milliaria 9, æquant Sinica *Li* 19, cum Paſſibus Sinicis 288, ſeu Cubitis Sin. 1440.

Angl. mill. 10, æquant Sinica *Li* 22.

Angl. milliaria 60, æquant Sinica *Li* 132.

Angl. mill. 69, æquant Sin. *Li* 151 cum Paſsib. Sin. 288.

Angl. mill. 100 dant Sinica *Li* 220. Angl. mill. 1200 dant Sinica *Li* 2640.

In dimetiendo terræ Jugera, res ſic ſe habet: viz.

Sinicum *Meu* continet Longit. 16 Paſſus Sinicos, Latit. 15 Paſſus Sinicos.

Sinici Paſſus 16 longitudine æquant Angl. Pedes 100.

Sinici Paſſus 15 latit. æquant Angl. Pedes 93 cum Unc. 9.

Sinici Paſſus 16 & 15 in ſe multiplicati, dant quadratos Cubitos Sinicos 6000, ſeu terræ ſpatium dictum *Meu*.

Sinici quadrati Cubiti 6000, conficiunt quadratos Pedes Angl. 9375, qui non accedunt ad Jugeri Angl. ¼.

Sinicum

# *Poſtſcriptum.*

Sinicum *King* continet decies dena *Meu*, ſc. 100 *Meu*.

Sinicum *King* in Longitudine habet Sinicos Paſſus 1600, qui æquant Cubitos Sin. 8000, Pedes Anglicos 10000.

Sinicum *King* in Latit. habet Sinicos Paſſus 15, qui æquant Cubitos Sin. 75, Pedes Anglicos $93\frac{3}{4}$.

Sinici Paſſus 16 & 1500 in ſe multiplicati, dant quadratos Paſſus Sinicos 24000.

Anglici Pedes 100 & 9375 in ſe multiplicati, dant quadratos Pedes Anglicos 937500, quæ quidem Area continet terræ Jugera Anglica $21\frac{1}{2}$ cum quadratis Pedibus Anglicis 1850.

Et in hujuſmodi Quadraturas China tota olim diviſa fuit, ad Tributa & Vectigalia facilius colligenda.

Superiores Cubiti minoris Collationes, non ſunt rejiciendæ: nam quamvis non ad terram metiendam, tamen ad varios alios uſus inſervire poterint.

Inſuper Notandum eſt, quod quamvis apud D. Mart. Cubitus ſit multo brevior quam Sinenſis mei Cubitus Geodæticus, utriuſque tamen Paſſum non adeo multum differre, cum hujus 5 Cubiti illius 6 Cubitos (ex quibus utriſve fit Paſſus) non tantum æquent, ſed & ſuperent 3 Unciis Anglicis cum pluſculo.

In

## *Poſtſcriptum.*

In hac Epiſtola fere promiſcue *Pedis* & *Cubiti* vocabulo utor, & ſubinde poſt vocem *Cubitum* exegetice adhibui vocem *Pedem*, ut noſtratibus conſtare poſſet qualis heic intelligatur Cubitus, is ſc. qui à Pedis menſura non multum abeſt. Alias enim abſque iſta præmonitione de horum uſu promiſcuo, tam heic quam apud D. *Martinium* & alios, Lectori pronum eſſet perperam intelligere *Cubitum* talem qui *Seſquipedem* æquat, ut alias accipi ſolet. Stricte autem loquendo, Sinenſes (ut & reliqui Orientales) nunquam ad menſurandum utuntur *Pede*, ſed ſemper *Cubito* qui à Brachii inferiore parte deſumitur. Is tamen communi Sinenſium uſu ita abbreviatum eſt, ut longitudine *Pedi* potius quam *Brachiali Cubito* reſpondeat. Sinicum itaque *Che* verbotenus eſt *Cubitalis menſura*;&,ex uſu ut apud nos, *Regula* (a Ruler) lignea vel ænea qua ducuntur lineæ. AChinenſibus tamen definitur conſtare duabus *Pa* ſeu *Spithamis*, quæ ſane *Cubitum* breviorem ſuperant, longiorem æquant. *Rurſus Vale.*

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Pro eo qd legitur folio 512, pag. alterâ, *Sciendum est Supradictum mensuram* Shing, *insere ut sequitur Sciendum est Sinensium Libram ordinariam dictam* Kin, *continere* 16 *Uncias Sinicas, vel de Troy. Adeò ut Libra Sinica faciat Libram de Troy* 1⅓. *Constat enim Patatonem Hispanicum ad Stateram seu Libram Sinicam ponderatum, continere* 7 *Scrupulos et* 3 *Minuta seu Grana, ut sit præcisè Uncia Sinica Libra inquam Sinica dicta* Kin, *pondere continet* 16 Leam, *qd continet* 10 Cien: *et hoc continet* 10 Fuen, *qd continet* 10 Li: *et hoc continet* 10 Hao, *qd continet* 10 Sù: *et hoc continet* 10 Hoè, *qd continet* 10 Vi: *et hoc continet* 10 Sien, *qd continet* 10 Sha: *seu Arenas: et Sha continet* 10 Chin *seu pulvisculos. Sed præter eos*

| Chin 塵 | Sha 沙 | Sien 纖 | Vi 微 | Hoè 忽 | Sù 絲 | Hao 毫 | Li 厘 | fuen 分 | cien 錢 | Leam 兩 | kin 斤 |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 10 | | | | | | | | | | | |
| 100 | 10 | | | | | | | | | | |
| 1000 | 100 | 10 | | | | | | | | | |
| 10000 | 1000 | 100 | 10 | | | | | | | | |
| 100000 | 10000 | 1000 | 100 | 10 | | | | | | | |
| 1000000 | 100000 | 10000 | 1000 | 100 | 10 | | | | | | |
| 10000000 | 1000000 | 100000 | 10000 | 1000 | 100 | 10 | | | | | |
| 100000000 | 10000000 | 1000000 | 100000 | 10000 | 1000 | 100 | 10 | | | | |
| 1000000000 | 100000000 | 10000000 | 1000000 | 100000 | 10000 | 1000 | 100 | 10 | | | |
| 10000000000 | 1000000000 | 100000000 | 10000000 | 1000000 | 100000 | 10000 | 1000 | 100 | 10 | | |
| 160000000000 | 16000000000 | 1600000000 | 160000000 | 16000000 | 1600000 | 160000 | 16000 | 1600 | 160 | 16 | |

*城 ching

把 pa

*id est, Spithama, quarum duæ dant Che seu Cubitum.*

寸 çun

尺 che

丈 chang

引 yn

里 li

步 pu

畝 meù

分 fuen

厘 li

毫 hao

絲 sù

忽 hoè

乙 ye

舖 pu

托 to

故 chang

六 lo

十 she

斗 teu

升 shing

合 hŏ

勺 chŏ

抄 cháo

撮 çŏ

圭 quei

粟 sŏ

黃 hoang

河 ho

鼠 quen

崙 len

寧 ning

戛 hia

獬 hoi

豸 chŏ

鴨 ya

子 çu

槌 ta

丙 co

木 mo

匕 chi

燎 liao

炬 ki

火 hŏ

江 kiang

石 she

庾 yu

鐘 chung

釜 fu

潤 quŏ

安 ngan

莒 çung

朝 chiao

鮮 sian

日 ge

本 pen

壽 çin

筆 chu

長 chang

城 ge

海 hai

敷 su

里 li

新 sin

年 nien

新 sin

月 yue

陝 shen

西 si

福 fo

建 kien

載 çai

鉄 tie

皇 ki

下 hia

作 ço

庶 ti

萬 van

里 li

城 ching

茶 chia

撒 sa

馬 ma

兒 ul

罕 han